



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die septima Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

oo. ccc. lvii.) priuilegia habet Romanorum Pontificum, in quibus ipsi sorores dicti conuentus, earumq; bona, & priuilegia in suam recipiunt protectionem. Non tamen per hæc statum earum intenderunt in aliquo approbare: non enim est status, vnde quacumque hora ad nuptias conuolari potest. Est que decretum à Ioanne Leodiensi episcopo, quod omnes Beghinæ, priuilegio beghinali gaudere volentes, intrent curiam Beghinarum: & aliæ habitum distinguant ab habitu earum.

d. e. Ratio  
recta.

Cap. 18.

### Die septima Ianuarij.

### De S. Hillonio vel Tillone, patrono in Yseghem.

Ex literis D. Ioannis Brauuerij, Pastoris in Yseghem.

**I**N territorio Lemouicensi, Solenniaco monasterio, S. Tillonis monachi. Cuius historia in ecclesia Yseghemeni, quæ Flandriæ est, intra diocesim Tornacensem, huiuscemodi est. Sanctus Hillonius, antea Tilo vocatus, natione Saxo, ex parentibus Arianis, cum patria à raptoribus vastaretur, ab eisdem nauigio in Franciam abductus est. Vbi à diuo Eligio precio redemptus, & vt in fide & Christianis moribus formaretur, Rymaylo viro sancto, in Solenniacensi monasterio degenti traditus est. Sub quo cum summus euassisset, Eligio restitutus est, qui cum aurifaber esset in palatio Dagoberti, dictum seruum suum in eadem arte instruxit, cumque ad sacerdotij & episcopatus culmen eueheretur, eum reliquit in palatio in fabril arte sibi successorem. Sed cum apud incudem virtutum semina in eo vbertim pullularent, ab Eligio promotus est & in sacerdotem, & in præfectum Solenniacensis monasterij. Quam sarcinam, quod eam inuitus accepisset, mortuo

mortuo Eligio deposuit, & in Auerniæ eremum  
 abcessit, vbi tantus fuit vitæ eius rigor, vt ab om-  
 nibus Paulus vocaretur, quia vitam in se exprime-  
 re videbatur Pauli primi eremitæ. In qua etiam  
 eremo, cum diuites & pauperes turmatim ad eum  
 eruditionis & sanationis causa confluerent, in  
 loco *Bruggere* monasterium construxit, in quo sub  
 eo trecenti monachi monasticam & austeram vi-  
 tam professi sunt. Postea, ab Angelo monitus, So-  
 lenniacum redijt, vbi verus monachus vitam tran-  
 segit. Inter multos ab eo sanatos *Almanna*, *Lan-*  
*tharis* Comitissæ vxor infirma, vasculum olei ei mi-  
 sit, quod à se benedictum remisit, & sanitatem in-  
 firmæ restituit. Munera porrò, gratitudinis ergo  
 à Comite missa, cum indignatione reiecit. Cum  
 autem nonagenarius esset, & ex leui febricula se  
 moriturum sciret, fratribus post osculum pacis  
 valedixit, & episcopum *Lemonicensem*, lecto ex  
 infirmitate decumbentem, ad se misso nuncio vo-  
 cauit, qui mox reddita sanitate venit, & virum  
 sanctum sacramentis ecclesiæ munijt, antequam  
 vitæ huius laboriosæ periodum absolueret. Cor-  
 pus autem honorificè *Soleniaci* sepultum est, &  
 ex sepulcro pro infirmis oleum manauit. Festum  
 postridie epiphaniæ Domini in *Yseghem* solenne  
 est, quod etiam ab accolis colitur pro sanatione  
 febrium. Eodem die celebratur festum eius in pa-  
 rochia *Gids* apud *Rollariam*, vbi ad memoriam  
 eius multa edita sunt miracula. Cur autem in  
*Yseghem* patronus colatur, causam allegant, quod  
 sanctus Eligius, cum ad *Flandros* conuertendos è  
 Francia venit, eum, antea seruum suum, comi-  
 tem assumpsit, & ad *Yseghemeses*, vt eos in fide  
 catholica instrueret, destinavit. Cui etiam conuer-  
 sionem

tionem suam, Dei gratia cooperante, acceptam ferunt. Pingitur ut abbas cum pedo in sinistra manu, cum calice in dextera, ex quo eo viuente infirmi sanitatem potabant. Hæc sunt, quæ inuitis iconoclastis ex Flandria accepimus. Ad quorum illustrationem pertinet, quod sanctus Andoënus in vita Eligij scribit: *sedebat fabricans indefessus, & contra illum Tillo vernaculus eius, ex genere Saxonico, qui magistri vestigia sequens, & ipse postmodum venerabilem vitam duxit.* Rursus, quod eodem ferè tempore scriptum est in vita Boniti episcopi Auerborum. *Adijt quendam celeberrimum Dei famulum Tillonem, cognomento Paulum, ut cum illo communicato consilio animi sui propositum posset explere.*

Lib. 1. c. 10.  
Cal. Decemb.

Die 15. Ianuarij.

### Octaua die Ianuarij.

#### 1<sup>o</sup>. De S. Gudila, patrona Bruxellensium.

*Ex officio Bruxellensi, quo etiam vitur ecclesia Mossellensis, & ad hunc diem exstat tomo 1. Surijs.*

**I**N villa Ham, depositio, sanctæ GVDILÆ virginis: cuius sacri corporis reliquiæ Bruxellæ venerantur. Ad cuius tumulum hiberno tempore populus arbor, sine manibus putantium, mox excreuit, & virens ut nemus fronduit. Quorum vtrumque fecit Deus, officio quo nouit, & voluit, & potestate qua valuit, in testimonium eiusdem virginis, in domo Domini ut palma florentis. Orta est hæc virgo in Brabantensium finibus, patrem habuit Vuirgerum Comitem, matrem Amalbergam: ad quorum petitionem sanctissima Gertrudis eam de sacro fonte leuauit. Mortua autè sancta Gertrude, ad domum patris ex Niuella reuertitur, optime